



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Capitvlvm I. Consilium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

que duo in facie Ecclesie pro legitimis conjugibus habentur, & incidat mera questio anne seu utrum Matrimonium inter eos in facie Ecclesie contractum sit, quod iudex Ecclesiasticus inhibere possit seculari, ne procedat in eiusmodi questione, etiam incidenter, colligitur ex cap. Si iudex. 12. de sentent. excommunic. in 6. & tradit Conarr. loc. cit. alique apud Panorm. c. 12. id. que in hoc casu propter errandi periculum & publice opinionis presumptionem.

Cap. Vltimum.

Super.

PARAPHRASIS.

Spoliatus agens iudicio possessorio recuperandæ seu ad restitutionem rei ablatae aut occupatae, non tenetur convento respondere super aliâ reconventionem aut petitione iudicio, præterquam si reconventio fiat super alia spoliatione.

SUMMARY.

1. Virumque cassatur privilegium, si concurrant duo ex causa omnino pari diversis partibus competentia, & servatur jus commune; secus si ex diversis causis competant; vel unus tantum in genere, alter vero specificè in hac causa privilegiatus sit.

NOTA. actio Possessoria recuperandæ privilegiata est, ut qui eam intentat

adversario respondere non teneatur, præterquam si & ipse de spoliatione excipiat, aut reconueniat.

Corollarium. Si concurrat privilegium cum privilegio ex causa omnino pari, tum utrumque cassatur, & servatur jus commune, sic dicunt DD. nominatim Panorm. in c. Presentia. n. 37. de Probat. si Ecclesia hæres instituta sit, quod possit ex legatis alteri Ecclesie relictis detrahere falcidiam, sicuti communi iure ex legatis detrahi solet; secus autem est, si aliquis in genere tantum privilegiatus sit, alius vero specificè in tali causa, tunc privilegium specificum prævalet, quâ ratione Ecclesia contra Ecclesiam, minor contra alium minorem petit restitutionem in integrum. c. Auditis. 3. de in integr. restituitur. nam hoc beneficium competit ratione læsionis, quæ in altera Ecclesia similiter non reperitur, ut ponimus, nam si æquè etiam ipsa læsa sit, restitutio adversus eam non concedetur. Secus item est, si ex diversis causis privilegia competant, tum privilegiatus contra privilegiatum potest uti privilegio, arg. l. 1. ff. Ex quibus causis Maiores. Videatur Bartol. in l. Quas actiones. n. 3. C. de SS. Eccles. Panorm. h. n. 2. sic v. g. absens ex causa necessaria restituitur adversus præsentem, si ob absentiam possessiones & jura sua amisit, sed & vicissim præsens restituitur contra absentem, si ex eo, quia nemo aderat, qui eum defendere vellet, tempus actionis extractum fuit.

cu. l. 1.

TITVLVS XI. DE PLUS PETITIONIBUS.

CAPITVLVM I.

Consilium.

PARAPHRASIS.

Non est consultum Actori, ut pecuniam sibi debi-



INTER exceptiones, quæ Actori ante vel post litem contestatam objici possunt, etiam ea est, quod plus petat, quam debeat, quare hoc loco titulus iste ponitur.

debitam ante solutionis terminam petat, quia plus petentium importunitas puniri solet, si super petitione sua in iudicio persistant, ita ut qui causa plus petunt, aut re, adversario ad expensas condemnentur; qui autem loco plus petunt, ad interesse obligentur; & qui tempore plus petunt ab adversario, huic induciæ duplicentur, neque cogatur litem suscipere, nisi expensæ ipsi solvantur.

S Y M M A R I U M.

1. Quot sint modi plus petendi.
2. Quæ pœna ex iure civili olim fuerit plus petentium, & quæ hodie sit tam de iure civili, quam de iure canonico.
3. In alternatiuis ex contractu, debitoris est electio: in alternatiuis verò ex ultima voluntate, plerumque legatarii est electio, nisi verba executionis ad hæredem vel Creditorem dirigantur.
4. Actor ex naturæ rei de interesse tenetur debitori, si alio loco solutionem petat, quam conventum fuerat: & in pœnam plus petitionis etiam ad expensas litis, si sine iusta causa petat.
5. Plus tempore petens, si Res conventus dilatoriè quoad actionem eum excludere velit, in pœnam duplicato tempore à iudicio huius causa abstinere cogetur: si verò peremptoriè quoad executionem sententia eum excludere velit, tanto tempore executionem & solutionem excludet, quanto tempore creditor solutionem petendo anticipat.

ADverte 1. quatuor modos plus petendi, Causâ, Re, Loco, Tempore. Plus causâ peti dicitur: dum aliquid in genere, vel alternatiuè debitum est, idque in specie vel cum determinatione certi petitur; Re autem plus peti dicitur, si v. g. decem debeantur, & viginti petantur. Loco autem, cum quis alibi convenitur, quam ubi conventum erat; Tempore, cum ante diem vel conditionem petitur, quod debetur.

ADverte 2. Quòd olim pœna plus petentium fuerit, ut causam amitterent, nec facile in integrum restituerentur, nisi ratione ætatis aut iusti erroris de facto. *Insti. de actio. §. Si quis agens*; hodie verò hæc pœna sublata est, excepto uno casu, si quis super

maiori quam ipsi debeat quantitate cautionem exegerit, & ita non revocans quod actum est, nec transigens, litem contestatus fuerit, toto debito carere debet. *l. unica. C. h. r.* idque adversus usurarios notandum est; In aliis verò causis, si quis plus petere vincatur, canonico iure tenetur parti litiganti ad expensas. Si dicas nihil novi hoc esse, cum omnibus temerè litigantibus incumbat, ut ad damna & expensas condemnari possint. *c. Calumniam. de pen. Resp. enim. Cum Panorm. hic. n. 10.* discrimen magnum esse, nam condemnatio in expensas fit accessoriè, si pars petat ante latam sententiam, postea verò iudex cum officio suo functus sit, non potest amplius de expensis tractare. *leg. 3. C. de fruct.* At verò exactio expensarum ex hoc Canone in modum pœnæ fieri potest, principali seu propriâ institutâ actione etiam post latam sententiam.

Ex textu Notandum insuper I. Quòd in debitis ex contractu in alternatiuis seu indeterminatis debitoris electio esse debet, ut si quis promiserit dare equum, non cogitur dare bucephalum, sed quemcumque ipse voluerit, *l. Plerumque. 11. in fin. ff. de iure. de jure dat. & reg. 70. in 6.* In alternatiuis debitoris est electio, & sufficit alterutrum præstari. Excipe nisi verba executionis dirigantur ad creditorem, ita ut appareat, ipsi concessam esse electionem, v. g. soluto matrimonio mulier res dotales vel æstimationem earundem accipere poterit. *l. Plerumque. §. Si res in dotem*; idemque est, si quis dicat, facio tibi facultatem hunc vel illum equum accipiendi; vnum vel duo plaustra lignorum in silva cædendi, quia eiusmodi disiunctio adiecta censetur in fauorem promissarii, ut notat *Molina tr. 2. d. 270. n. 5.* Loquor autem de debitis ex contractu; nam in ultimis voluntatibus, videlicet legatis, electio plerumque est legatarii, v. g. volo, ut Fratri meo proveniat illo loco sita vinea, vel centum aurei; frater alterutrum eliget. *l. Planè. 34. §. penult. ff. de legat.* Præterquam si verba executionis dirigantur ad hæredem, v. g. hæres meus fratri meo Vineam dabit, aut centum aureos. *l. Si ita velit. 43.* Ratio verò discriminis

minis inter contractus & ultimas voluntates est, quia in voluntatibus ultimis ob earum fauorem plenior interpretatio fieri debet quam in contractibus. *reg. 12. junct. gl. ff. de Reg. jur.* atque in contractibus sibi imputare debet stipulator, quod obligationem, quam imponere voluit, non magis expresserit, *l. Veteribus. 39. ff. de pact.* Sed quid si Titius habens duos equos, promiserit alterutrum tibi dare, & ante promissionem impletam sine morâ aut culpa promissoris, unus eorum moriatur, debetne alterum dare? Resp. Affirmatiuè. *ex l. Stichum. 95. §. v. ff. de solut. l. 12. §. Scavola. ff. de eo quod certo loco.* Excipe I. Nisi vnus ex equis promissis, ab eo qui eligendi jus habebat, electus fuerat, tum eo mortuo liberatur promissor. *cit. l. Stichum;* nam id generatim verum est, vt si res casu pereat, eius damno pereat, cui in specie debetur. Dico si casu pereat, secus si culpa seu mora culpabili creditoris. Excipe II. cum *gl. in cit. §. Scavola. in Molin. l. c.* si vna ex rebus sub disiunctione debitis, ita vt in promissoris electione esset, alterutram dare, absque eius culpa pereat, quo in casu satisfacet promissor præstando eiusdem æstimationem *l. Cum rebus. 47 §. Sed si Stichus. ff. d. l. 1.*

4. Nota II. Si quis eum qui promissit certo loco se soluturum, alibi conveniat, tenebitur ad id quod interest debitori solutionem in alio loco fieri, quam constitutum erat, quandoquidem non in omnibus locis idem rerum pretium est, aut pecuniæ æstimatione, ita etiam habetur in *l. 1. & 2. ff. de eo, quod certo loco. & §. Plus autem. Institut. de actionibus.* Verumtamen hæc non est proprie pœna hujus cap. cum id ex rei natura na-

scatur, ut si debitor alibi soluere iubeatur, quam promiserat, ratio habeatur eius, quod interest; quamobrem distingui debet, aut enim justam causam actor habet in alio loco petendi, si videlicet debitor in loco constituto nunquam reperiatur, aut contineri facile non possit, tum vbiq; terrarum vtili actione conueniri poterit, ita tamen vt ratio habeatur, tam ex parte creditoris, quam debitoris, quatenus eorum interest, quod alio loco solutio fiat. *l. 2. ff. de eo, qui certo & c.* aut non habet justam causam alibi petendi, tunc non tantum ad interesse tenebitur, sed etiam ad expensas litis, cum pœnam plus petentis incurrat. Sed quid, si quod alibi promissum est, solui petatur in loco domicilii? videtur id concessum ex lege *Hares. §. vlt. ff. de iudic.* Resp. *Jo. Fab. & Mysing. cit. §. Plus autem;* posse quidem conueniri in loco domicilii, sed factâ mentione loci, in quâ solutio destinata erat, ita vt si inter sit debitori, alibi potius solui, habeatur ratio vilitatis seu inter esse.

Nota III. Si quis tempore plus petat, videlicet ante diem definitum, vel ante impletam conditionem, v. g. si quidpiam promissum sit sub conditione nuptiarum, ita puniri debet, vt tempus quatenus ab ipso præuentum est, in odium eius duplicetur, vt si duobus mensibus actionem anticipauit creditor, quatuor mensibus à iudicio huius causæ absistere cogatur, si Reus conuentus actionem eius excludere velit dilatoriè, si autem peremptoriè, ita vt sinat iudicem sententiam ferre, tum eam ita moderari debet, vt solutio seu executio sententiæ non fiat, nisi duplicato illo tempore elapso. Sic docet *Innoc. hic. & Panorm. n. i 2. & 14.*

TITVLVS XII.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

Cap. I.

Susceptis.

PARAPHRASIS.

Felix, illustris Siculus conquectus est S. Gregorio